



**R.P.Fr. Lvdovici Granatensis Ordinis S. Dominici SS.
Theologiæ Professoris Opera**

In tres tomos distributa

Opvscvla Spiritvalia Continens, in quibus peccatores à semita vitiorum &
perditionis, ad regiam virtutum, perfectionis, ac salutis æternæ viam,
perducuntur

Luis <de Granada>

Coloniae Agrippinae, 1626

[Reverendae Dominae Annae De Crvce Ordinis S. Claræ In Coenobio De
Monsiglia F. Lvdovicvs Granatensis.]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79597](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79597)

REVERENDAE DOMINAE ANNAE DE CRUCE ORDINIS S. CLARÆ IN COE-

NOBIO DE MONSGLIA F. LVDOVI-

CVS GRANATENSIS.

INTE R præcipuas Christianæ doctrine partes, Reuerenda Domina, magis fructuose, & deuote sunt illæ, quæ tractant de Amore Dei, & mysterijs vite ac mortis nostri Seruatoris: quæ sic inter se connexæ sunt, vt vna ad alteram quam plurimum adferat adiumenti. Tria namque præcipue voluntatem nostram ad amandum Deum prouocant: incomprehensibilis scilicet eius bonitas, immensa eius charitas, & inestimabilia eius beneficia: quæ taliter in vita Christi inueniuntur, vt in nulla re creatæ perfectius. Nullam enim est opus, in quo Deus mundo maiorem exhiberet bonitatem, aut maiorem detegeret amorem & charitatem, aut maiora conferret beneficia, quàm in sanctissima eius vita & passione: & sic cupidi huius diuini amoris in nulla parte maiores ad illum stimulos & incentiua inuenient.

De his duabus materijs in nostro Memoriali vita Christianæ tractaui, sed breuissime, pro rationis istius nominis Memorialis. Cum autem materia tam utilis ad vitam Christianam sit, adeoq; multa de illa remaneat scribenda, vt breuior sit hominis vita, quam vt quis satis exacte de illa scribere possit: opera pretium me facturum existimaui. si breuitatem illam prolixiori tractatione suppleam, latius quæ materiam hanc extendam, in gratiam eorum, qui fructum facere cupiunt. Cæterum in primo horum duorum tractatum, qui est de Amore Dei, non satis fuit mihi, vulgariter, & communis modo de hoc amore scribere: sed agere volui de eius perfectione, de quæ præcipuis medijs, quibus acquiritur. Sciendum enim est, finem, vt nos docet Apostolus, vitæ Christianæ, & omnium mandatorum Dei, ac vniuersorum consiliorum sacri Euangelij, esse hunc sanctum Amorem. Omnia enim illa sunt quasi media & scala, quibus ad illum ascenditur. Vnde sequitur, vt quemadmodum finis vitæ Christianæ est amor ille, sic vltima perfectio eiusdem vitæ sit perfectio huius amoris: qui cum perfectus erit, etiam perfecta hominis illius, in quo est, vita dicitur.

Quapropter in hoc eodem libro etiam tractatur de perfectione vitæ Christianæ, ad quam licet non omnes obstringantur, omnium tamen est ad illam aspirare: multo namque maiorem fructum & progressum in virtutibus facient illi, qui perfectionem hanc sibi proponunt, quam qui medium quoddam vitæ genus sibi ob oculos constituunt, nec ulterius procedere cupiunt.

Cogitanti itaque mihi, cui potissimum hunc librum, qui de perfectione vitæ huius agit, dedicarem, non alius sese obtulit, cui hæc doctrina magis competeret, quàm R. V. quandoquidem totus mundus testis est exemplorum virtutum, & perfectionis, quæ in omni vitæ sua edidit: quorum & ego ipse à primis annis testis esse possum oculatus. Etenim prætermisiss duabus vitæ conditionibus, virginitate scilicet atq; coniugio, in quibus Dominus noster seminauit fructus, quos nunc colligit: postquam Deus illustrem Comitess de Fera, cuius nomen tam in terra, quam in celo erit perpetuo gloriosum, ex hac vitæ ad se euocauit, relinquente te viduam annorum viginti quatuor, statim reliquisti omnia, quæ mundo relinqui poterant, & præterea filiam educandam; habitumque S. Claræ animo prompto, & incredibili deuotione assumpsisti, vt iam non corpore tantum, sed & anima habitu illo induta videreris. Inde in cellulam te abdidisti, quæ vnam tantum habet fenestram, è qua prospectus est in summum altare templi, vbi sanctissimum Sacramentum asseruatur: maiorem temporis partem transgens in præsentia summi illius Domini, contemplando illum sub specie panis velatum, donec tandem venerit hora, in qua videbis eum, fuerisque illo nudo, omni velamine detracto in gloria. Nec contenta quod in eius semper versaris præsentia, frequentissime quoque illum recipis in animam: hoc modo te de promissione futuræ gloriæ securam faciens arripas, quæ in diuino hoc Sacramento confertur. B. Hieronymus scribit de quadam nobili virgine Romana, quod in vrbe turbida inuenit eremum monachorum: Vestra verò Reuerentia in medio totius illius tam illustri familia, filia quoque & nepotum, quibus Dominus te beauit, inuenit desertum & solitudinem monachorum: mundum docens, veram & perfectam solitudinem non consistere in loco, sed in corde. Solus est, qui

est, qui cum Deo est, solus est, qui secum habitat: solus est, qui sibi incensus vivit: solus est, qui ex corde suo affectus omnes huius seculi eiecit, extra mundum namque iam est, qui nihil mundanum appetit, & qui non habet unde aut dolorem, aut gaudium percipiat ex rebus istis, quas non amat. Vbi enim non est amor, ibi nec dolor est, nec cogitatio, nec poena, nec tribulatio.

Accipiat igitur R. V. exiguum hoc munusculum, quod est exile & parvi pretij sit ex se: tamen plurimum valebit, si animus offerentis respiciatur. Particeps etiam istius sit Comitissa de Piego, cui, ut filia talis matris, non poterit non hac ipsa doctrina placere: similiter & Domina de Torosa, & D. Abbatissa cum omnibus alijs monialibus sancti illius monasterij, in quo diuinus amor multo melius exercetur, quam in hoc libro docetur. Omnium harum me debitorem agnosco iam pridem fuisse, & omnibus offero exiguum hoc munusculum, cum aliud non habeam, quo debitum hoc dissolvere possim. Ceterum Dominus ille, qui cum nihil deberet, pro omnibus satisfecit, suppleat quod ex parte mea deest, qui & R. V. in sancto suo timore & amore quam diuissime conferuet incolumem. Vlyssipone, 25. Iunij, anno à partu Virginis M. D. LX. XIV.

AD CHRISTIANVM LECTOREM F. LVDOVICVS GRANATENSIS.

Scripsi præteritis diebus, Christiane Lector, librum, cuius titulus est: Memoriale vite Christianæ: in quo mea fuit intentio, perfectum formare Christianum: euehendo illum per omnes gradus, à principio conversionis vsque ad ultimam perfectionem: quæ quidem in charitatis perfectione, hoc est, in amore Dei consistit: ubi declarauimus, quid in quocunque gradu faciendum est. Sed quia materia tam multa complectebatur, non potuerunt omnia, nisi breuiter tractari, quemadmodum & ipsum nomen Memoriale insinuat: sperans interim Dominum vitam mihi longiorem daturum, ut aliquas materias prolixius, prout requirunt, tractare possem. Id quod ex parte factum est: Libri enim de Oratione & Meditatione, & Dux peccatorum, ad hoc quoque deseruiunt. Sed nunc adiungere mihi visum est duos alios tractatus, vnum de Amore Dei, qui spectat ad librum Memoriale septimum: in quo de eadem agitur materia: sed hic differitur prolixius & copiosius: Alterum de quibusdam articulis, & deuotis mysterijs vite nostri Saluatoris, qui respondet libro sexto Memoriale, in quo breuiter hæc mysteria fuerunt tractata: hic autem vberius: quemadmodum enim hæc sacra mysteria plena sunt deuotionis & suauitatis, sic etiam conueniens erat ea tractari magis enucleate.

Nemo autem existimet superfluum esse duos tractatus scribere de amore Dei: tot enim & tanta veniunt de huius virtutis excellentia, de rebus ad eam pertinentibus, & ad eam acquirendam iuuantibus, eamque contra impedientibus: item de obligationibus, deque stimulis & incentiuis, quæ nos ad amandum Creatorem mouere debent, dicenda: ut licet infiniti libri de hac materia scriberentur, nunquam omnia possent exprimi, quæ de illa dicenda essent. Quin etiam obseruabo (quantum per memoriam potero) ne repetam in hoc libro, quæ in altero semel dicta sunt, etsi eodem procedam ordine: id enim ipsius materie natura requirit. Et cum videamus propter peccata nostra quotidie tot nouos libros fabulosos & mendacibus bellis, amoribus, alijsque hystris & figmentis, veteribus addi, unde nullus redit ad lectorem fructus, nisi vanitas, inbonetas, & perditio temporis: cur reprehendendum esset, si libris de Amore Dei, deque operibus vite illius sanctissime (in cuius contemplatione magna pars beatitudinis nostre in hac vita consistit) quotidie noui tractatus accrescant, qui quasi noui stimuli sunt amoris Dei, omniumque virtutum. Quantum autem sit huius lectionis fructus, docet S. Bernardus in tractatu quodam, quem scripsit ad quandam Sororem suam, dignum sane tali auctore, & spiritu tali, in quo differens de lectione, sic ait: Per orationem mundamur à peccatis, per lectionem docemur, quid faciamus. Vtranque bonum est, si licet. Si verò non licet, melius est orare quam legere. Nam cum oramus, cum Deo loquimur: cum legimus, Deus nobiscum loquitur. Soror charissima, si vis cum Deo semper esse, semper ora, & semper lege. Valde nobis est necessaria lectio diuina. Nam per lectionem discimus quid facere, quid canere, quo tendere debeamus. Vnde dicitur: Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Per lectionem sensus & intellectus augentur. Lectio nos ad orationem instruit, & ad operationem. Lectio nos informat ad actionem & contemplationem in vitam: ideo dicitur in Psalmis: Beatus vir qui in lege Domini meditabitur die ac nocte. Lectio & oratio sunt arma, quibus diabolus expugnatur, hæc sunt instrumenta, quibus æterna beatitudo acquiritur. Per orationem & lectionem vitia destruuntur, & virtutes in anima nutriuntur. Ancilla Dei semper debet orare & legere. Vnde legitur in Psalmis: Tunc non confundar, cum perspexero in mandatis tuis. Igitur dilecta mihi soror in Christo, insisto orationi frequenter, perseuera in meditatione scripturarum, in lege Dei esto assidua, habeto studium in diuinis legibus, vsus legendi sit tibi frequens, lectio sit tibi quotidiana legis meditatio. Lectio demit errorem vite, subtrahit hominem à vanitate mundi. Hactenus sunt verba D. Bernardi, quæ merito silentium imponere deberent his, qui spiritualium & piorum librorum reprehendunt lectionem: in qua acquiritur cognitio vite Domini, quæ & ab hoc Sancto, & à S. Hieronymo in omnibus eius Epistolis, similiter & à multis alijs sanctis Doctoribus nobis commendatur.

Posito

denat de
modo bene
viciendi
scilicet, y.

Mal. 118.

Mal. 1.

Mal. 118.

Posito interim casu, librum hunc (in quantum tractat de Amore Dei, in quo consistit perfectio vite Christiane, de qua hic etiam agitur) ad homines potissimum religiosos pertinere, qui ratione status sui re-
 nentur ad perfectionem vite contendere: non tamen desunt plurimi, qui extra statum hunc, ad eadem per-
 fectionem aspirant, magna cum vite puritate, etiamsi ad eam non obligantur. Gratia enim Dei tam potens
 est, & tam mirabilis, ut etiamsi vite genus non inueniet eos, (imò parum impediatur) tamen virtute sua queat
 omnia status istius impedimenta perfringere, & superare. Imò saepe auctor gratiae, ut demonstret suam po-
 tentiam, excolle ad maximam perfectionem hos, qui plurimis inuoluuntur impedimentis. Quomodo enim
 enim elegit rudes piscatores, ad mundum conuertendum, volens ut in eo maxime reluceret suae virtutis
 magnitudo: sic etiam saepe eligit personas, quae exiguum habent à vite suae statu ad perfectionem admini-
 culum, ut ostendat in illis efficaciam & potentiam suae gratiae.

Rom. 5.

Vide Of-
bert. apud
Surtium
Tomo 1.

Hoc modo inueniuntur quotidie in Ecclesia Christi viri & mulieres, cuiuscunque status & conditionis,
 parui & magni, pauperes & diuites, celibes & coniugati, qui cum magna vite puritate ad huius vite
 perfectionem contendunt, status sui impedimenta diuina adiuti gratia vincentes, adeo ut, quemadmodum
 Apostolus, ubi loquitur de malitia communis humani generis peccati, ait, ibi abundare gratiam, ubi a-
 bundauit peccatum: sic in quo statu maior a sunt impedimenta, Dominus saepe fauorem gratiae suae mul-
 tiplicat, ut facile possint homines ea superare. Etenim dic mihi quos, ubi reperiuntur maior a impedimen-
 ta, quam in statu ac vite Regum: & tamen legimus multos fuisse sanctissimos Reges, quorum festa celebrat
 Ecclesia: Taceo de Regibus veteris testamenti, Dauide, Iosaphat, Ezechia, & Iosia, qui sanctissimi fue-
 runt & felicissimi. In nouo testamento habemus Ludovicum Regem Franciae, & alium S. Ludovicum fi-
 lium Regis Aragoniae, & Siciliae: habemus S. Elisabetham viduam, filiam Regis Vngariae, & S. Regi-
 nam Portugalliae, quae usque in hodiernum diem manifestissimis claret miraculis, quibus libri pleni sunt.
 Habemus & S. Eduardum Angliae Regem, in quo optime reluxit diuinae gratiae potentia. Cum enim esset
 iuuenis, haberetque nobilissimam uxorem Egicam, tali matrimonio dignam, de communi consensu viri-
 que votum fecerunt perpetuae virginitatis: viuentes & simul conuersantes toto vite tempore, in amore in-
 cerisimo coniugij, cum vite huius puritate perseverarunt. Et cum D. Bernardus dicat, maius esse mira-
 culum, maritam & uxorem suspectae aetatis simul viuere, & castitatem seruare, quam mortuum resusci-
 tare; hi tamen ambo iuuenuli conuersantes semper in media pompe, & regalis vite apparatu: opem ipsi
 ferente diuina gratia, usque ad extremum vite suae diem castitatem conseruare potuerunt. Omnes igitur
 Christiani auxilio diuinae gratiae confisi, debent ad perfectionem huius vite aspirare: etsi enim ad eam non
 peruenierint, minus tamen humili loco stabunt, si ad altiora tendant: quam si stantes loco humillimo, non o-
 ptarent ulterius progredi, eò magis, quia semper plus est quod desideramus & petimus, quam quod fa-
 cimus.

Rom. 4.

Psal. 61.

Porro quamuis plurimum iuuat in vite perfectione renunciare omnibus rebus transitorijs, & munda-
 nis, ut quis nudus nudum sequatur Christum, magisque expeditus sit ad resignandum se soli amoris & obe-
 quio diuini: haec tamen renunciatio non tam consistit in abdicatione bonorum, quam in refrenatione esse-
 tium inordinatorum, quibus bona illa appetuntur & possidentur: ij enim potissimum sancta a impediunt pro-
 posita. Erant ditissimi Reges illi, de quibus paulo ante diximus, & diuites fuerunt multi ex sanctis illis Pa-
 triarchis, qualis fuit Abraham pater omnium credentium, (sic enim vocat eum Apostolus) qui potuit co-
 gnato suo mittere exercitum trecentorum octodecim vernaculorum illi seruientium: tamen ob hoc imper-
 fectiores non fuerunt, etiamsi bona tanta possidebant: non enim ijs apponebant cor, nec affectus suos in ijs
 habebant immissos. Faciamus igitur quod monet Prophetia; Diuitiae si affluant, nolite cor apponere.
 Cum enim cor ab hoc affectu liberum est, diuitiae non oberunt in via perfectionis.

Notandum autem hoc loco est, etsi liber hic inscribitur De perfectione amoris Dei, nihilominus tamen
 in eo de perfectione vite Christianae quoque tractari. Quomodo enim finis totius legis, & omnium con-
 siliorum vite Evangelicae est amor Dei: sic in perfectione huius amoris eadem vita consistit. Id quod in
 progressu huius libri aperte patebit: omnia enim documenta, quae viam ad amoris perfectionem trahunt,
 etiam faciunt ad eiusdem vite perfectionem assequendam. Ut enim alias perfectae vite definitiones prae-
 tereamus, ea est vita perfecta, qualem describit S. Hieronymus, tractans de sanctis illis Aegypti patribus,
 de quibus asserit, quod vivebant in carne, non aliter atque si extra carnem fuissent. Adio, ut mortui mun-
 do, soli Deo viverent: hoc est, mortui carni, solo spiritu vivebant vitam spiritualem, & diuinam magis
 quam humanam.

Quod ut melius intelligatur, notanda est hic differentia, quae est inter homines carnales, & spirituales.
 Officium carnalium est, omnem amorem cogitationes, intentionem, & desideria sua ponere in pompis & de-
 licijs corporis, nec amplius cogitare de anima, quam si eam non haberent: e contrario vero interiori hominum
 spiritualium (vbi nomen ipsum declarat) est, vacare & operam dare puritati spiritus, illuminando intello-
 ctum suum lumine & consideratione primae veritatis, rerumque aeternarum, ornandoque voluntatem suam
 omnibus virtutibus & donis Spiritus sancti, tantum tribuendo corpori, quantum, ut viuat, requirit ne-
 cessitas, parè hoc etiam illi dando, & in certa mensura. Imago vite huius perfectissima fuit representa-
 ta in Christo, Apostolis, & omnibus illis Anachoretis: qui despectis omnibus huius mundi rebus, soli stude-
 bant contemplationi, & amoris Creatoris. Posterioribus seculis eiusdem vite specimen in B. Francisco, per-
 fectissimo imitatore vite Evangelicae satis eluxit: qui contemptis omnibus huius seculi negotijs, terrenis
 & cogitationibus, noctes atque dies contemplationibus rerum caelestium vacabat, in terra exercens offi-
 cium, quo Angeli funguntur in caelo. Voluit igitur Spiritus sanctus in hoc glorioso Confessore perfectionem
 vite huius ad viuum exprimere, ut sine dubio mihi videatur viuus commentarius, tam huius, quam per-
 fectionis Evangelicae, qui non verbis, sed operibus ostendit dilucidius conditionem vite huius, quam alij
 commen-

commentarij multis paginis & voluminibus. Quemadmodum enim multo perfectius cognoscit figuram & situm urbis Rome qui oculis eam vidit, quam qui in aliquo libro verbis declarata legir: ita melius intelligit conditionem vite Evangelicæ, qui videt Sanctam aliquem eam vita sua exprimentem, quam qui legit aliquem commentatorem, qui eam multis literis & libris docet atque describit.

Iuxta hanc itaque doctrinam vita perfecta est illa, quam nos docet istud exemplum: hoc est, esse in terris corpore, & spiritu habitare in celis: vivere inter homines, & conuersari cum Angelis. Vita perfecta est spiritualiter participare de illa benedictione data Patriarchæ Jacob, cum ex contactu Angelis uno pede claudicauit, altero sano & integro. Per duos enim hos pedes duplex amor, proprius scilicet, & diuinus, intelligitur. Tunc igitur homo particeps erit huius benedictionis, cum pede amoris proprii claudicabit, altero illo amoris Dei sano & integro. Necessarium autem est id ita fieri: nisi enim debilis & claudus sit inordinatus amor sui ipsius, non poterit esse integer in anima nostra amor diuinus.

Ex hoc itaque exemplo fit manifestum, vnum idemque esse tractare de perfectione vite Christianæ, & de perfectione charitatis, quandoquidem vtrunque ad eundem finem ordinatur, & per eadem media in eundem finem tendit: quicquid igitur requiritur ad perfectionem huius vite, idem requiritur etiam ad perfectionem charitatis. Et quamuis de hac materia non deberet scribere, nisi qui perfectus esset, siquidem (ut Sapiens dicit) Qui nauigant mare, enarrant pericula eius: non ob id tamen inconueniens est, quod imperfectus aliquis, legens scripta sanctorum, quæ hac de re tractant, possit colligere, & in ordinem redigere, quæ ipse circa hoc literis mandata reliquerunt. Id quod ego in hoc Tractatu, ad gloriam Domini nostri, & adificationem fidelium efficere conabor.

Illud autem in fine huius Prologi monere visum est, quod, quicumque hunc librum vult cum fructu legere, eiusque idioma intelligere, prius bene debeat esse exercitatus in ijs quæ præcedunt: penitentia mirum, oratione, deuotione, & meditatione: ut animam aliquam scintillam amoris diuini conceperit, sine qua difficillimè poterit huius virtutis doctrinam intelligere: quod D. Bernardus testatur his verbis: Si quis horum, quæ ad amorem Dei pertinent, cupit adipisci notitiam, amet. Alioquin frustra ad audiendum, legendumve amoris carmen, qui non amat, accedit: quoniam omnino non potest capere ignitum eloquium frigidum pectus. Quomodo enim Græcè loquentem non intelligit, qui Græcum non nouit idioma, nec Latine loquentem, qui Latinus non est, & ita de cæteris: sic lingua amoris ei, qui non amat, barbara erit, sicut æs sonans, aut cymbalum tinniens.



Ddd

ADIVN